

† R. P. Michael Somers (1848–1932)

(*Prov. Hibern.*)



R. P. Michael Somers, qui d. 25 Dec. 1932 e vita excessit, natus erat abhinc octoginta quinque annis (11 Iul. 1848) in Hiberniae comitatu Roscomonensi. Ei adolescenti ob valetudinem adversam bis e collegio discedendum erat, et ad annum vicesimum septimum pervenit, priusquam 29 Iun. 1875 in collegio Maynooth ordinem presbyteratus acciperet. Primum aliquot annos in dioecesi Elphinensi laboravit; dein, Episcopo consentiente, e clero saeculari ad Congregationem SS. Redemptoris transiit, et kal. Nov. 1883 vota nuncupavit.

P. Somers, quamvis valetudine firma nunquam gauderet, tamen omni generi laborum apostolicorum, sive missionibus popularibus, sive sacris secessibus, non solum ad laicos et religiosos, sed etiam ad ecclesiasticos,

sedulo se devovit. Praeterea ob mansuetudinem morum ac diligentiam ad officia administrationis suscipienda aptus erat. Ter eum invenimus Rectorem localem: in domo Scotiae Perth (quo tempore Provincia Hibernica nondum ab Anglica seiuncta erat) et Dundalchi Hiberniae et in Esker prope oppidum Athenry. Etiam Magister novitiorum fuit.

Quando primum erat Rector, votis omnium obsecundans emit partem collis silvestris, qui collegium *Perth* prospectat. Fama enim erat locum esse electum a viris divitibus ad domos magnas ibi aedificandas, id quod nostris incommodo gravissimo fuisset. Hoc fecit, non sine miro S. Ioseph interventu, anno 1891, et per totam vitam affectionem tenerrimam erga domum, in qua ipse primum Rector fuerat, fovebat.

Rector domus *Dundalk* ecclesiae seriem pulcherrimarum campanarum obtinuit, quo in negotio prudentiam suam manifestavit. Quidam benefactor paratus erat donare pecuniam ad campanas emendas, sed ea condicione, ut nos turrim aedificaremus. Quid tum Rector fecit? Cum inde communitas ad S. Ioseph aere alieno haud levi oneranda fuisset, ipse benefactori proposuit dare pecuniam Em̃o Cardinali Logue ad novas campanas ecclesiae parocchiali comparandas. Benefactor quidem pecuniam Cardinali obtulit, addens tamen se desiderasse potius campanas in ecclesia S. Ioseph habere. Tunc Cardinalis, hac beneficentia gavisus, exclamavit: « Oportet pecuniam ecclesiae S. Ioseph donare, atque ad turrim aedificandam populus contributurus est ». Ita factum est, et Dundalchensis aedes sacra novam turrim novasque campanas sonoras recepit.

Sed opus maximi momenti in vita Patris Somers proculdubio erat fundatio domus studentatus *Esker*. Aliquot ante annos conatus erat Redemptoristis in sua dioecesi Elphinensi domum obtinere, verum ob peculiare circumstantias loci electi hanc fundationem facere non potuerat. Tandem divina Providentia effecit, ut situs in dioecesi Clonfertensi aptissimus reperiretur. Domus ab Illm̃o Episcopo Ioanne Healy, postea Archiepiscopo Tuamensi, empta est et constituta sedes studentatus. Ob salubritatem aëris et quietem loci clericis nostris maxime idonea est, ut spiritu collecto *soli Deo et studiis* vacent. Patres vero inde ad missiones per regionem occidentalem Hiberniae praedicandas egrediuntur. Qui missionarii, domum regressi, solitudine silentioque, quae Regula desiderat, congaudent; nam haec domus ruri posita est.

P. Somers usque ad aetatem provectam pervenit. Diu valetudine infirma utebatur, tamen usque ad finem in confessionibus audiendis erat fidelis. Propter eius benignitatem, sympathiam, pietatem permulti poenitentes ad eum veniebant.

Tandem finis longae vitae cito appropinquavit. Ipso die Nativitatis Domini anni 1932 exspiravit inter sonum *Angelus*, atque anima eius obviam facta est divino Redemptori, quem vivus amavit, et cui fideliter servivit.